

*Dionysii Exigui.* Sequuntur *Canones XII.* de Esu Immolatorum, de Usuris, de Hospitalitate, de Avaritia, de Eleemosynis, de Caritate Proximi aliunde lecti.

IV. fol. 26. p. 2. *Item De Alio Penitentiali.* Canon I. *Qui detrahit laici VII. dies. Clerici duas ebdomadas. Subdiaconi III. Diaconi IV. Presbyteri V. Episcopi sex ebdomadas peniteant.* Sequuntur plures alii de correctione Irae, Instabilitatis, Superbiae, aliorumque vitiorum, de Communione cum Haereticis, Baptismo, Observatione Diei Dominicae et Ieiunii ecclesiastici.

V. fol. 31. p. 2. *De Sacrificio.* Canon I. *Pro bonis rebus offerre debemus. Pro malis nequaquam. Id est pro caritate fraterna offerri. pro odio nequaquam.* Sequuntur plures alii de eadem Materia. In his, ut in antecedentibus, aliquoties *Usus Graecorum et Latino-rum* inter se comparantur.

VI. fol. 36. *Item de Alio Penitenciale.* Canon I. *Si quis sacerdos tactum mulieris pollutus fuerit. LXX. diebus Peniteat.* Sequuntur *Canones* plures de diversissimis materiis. Inter alia rarior est formula: *Si quis in terra fornicaverit, et: Si subterraverit;* nisi dicas, posterius esse mendum Librarii pro *sub terra fornicauerit*, quod non incredibile de Nostro. In *Glossariis Subterrare* alio significato est. Nullibi porro ad relatas has *Canonum Syllogas* adnotatur, unde decerpti sint; infinitae pro indaginis esset, id ex Autoribus supra citatis eruere, qui paene om-  
Denis Codd. Theol. V. I. P. III.

nes opportunis Indicibus destituntur.

VII. fol. 41. *De Uestimentis Sacerdotalibus.* Initium: *Id est ephod. superbumerale. significat munditiam bonorum operum. De potestate. Id est. tonica linea &c.* Multi sunt veteres Liturgici in Descriptionibus Sacrarum Vestium; hanc tamen concisam nullibi me legere memini. Definit in haec verba: *et contemptores non inueniant materiam blasphemandi.*

VIII. fol. 42. *In Dedicatione Ecclesiae.* Sermo, cujus initium: *Quociens cumque fratres karissimi altaris uel templi festiuitatem colimus &c.* *Caesarii* est, olim *Augustino* tributus, et coniectus a *Maurianis* in *Append. T. V. col. 375.* in nostro vero exemplo sine mutilus.

## DCLXIX.

Codex membraneus lat. Sec. 7<sup>94</sup>  
X. Folior. nunc 116. 4. probe exaratus, minio vivace distinctus et optimae notae, Literis quadratis rubro nigroque per lineas alternantibus inscribitur: *Incipit De Utilitate Penitentiae Et Quomodo Credendum Sit De Remissione Peccatorum Per Penitentiam Cum Praefatione Operis Subsequentis.* Initium prolixae hujus Praefationis est: *Excepto baptismatis munere quod contra peccatum originale donatum est. Unde incipit renouatio hominis in qua omnis reatus soluitur. Et ingeneratus et additus. etiam cetera uita iam ratione utentis aetatis quantalibet praepoleat*

leat fecunditate iustitiae. sine peccatorum remissione non agitur &c. Atque ita, postquam Autor multis de necessitate ac ratione Poenitentiae tractasset, concludit: *Librum autem quem de corpore canonum excerpimus. cuique hoc opus quasi praefationem preponimus in tribus libellis diuidi placuit. quo facilius lector quod querit inueniat. Et primus quidem libellus continet ea quae sunt de penitentia. et penitentibus. criminibus atque iudiciis. Secundus maxime de accusatis et accusatoribus iudicibus ac testibus. cum ceteris ad haec pertinentibus ecclesiasticis regulis. Tertius de sacris ordinibus ut qui promouendi sunt ad clerum quique remouendi a clero et de regulis ac priuilegiis omnium clericorum et presulum.* Post haec: *Incipiunt Capitula.* Atque hujus Elenchi Folia aliquot a Cap. videlicet XXI. Lib. I. usque ad Cap. XXXVIII. Lib. III. e Codice excidere. *Libri I.* Inscriptio quadrata est: *Incipit Liber Primus Quod Nulli Sit Ultima Paenitentia Deneganda Ex Epistola Pape Celestini Ad Episcopos Galliarum.* Initium Cap. *Agnouimus enim penitentiam morientibus denegari &c.* *Libri II.* Inscriptio: *Incipit Liber Secundus De Coniuratione Uel Conspiratione. Ex Concilio Calcedonensi.* Initium Cap. *Coniurationis uel conspirationis crimen ab exteris legibus &c.* Inscriptio *Libri III.* *Incipit Liber III. Presbyterorum Et Diaconorum Ordinationem Certis Celebrare Temporibus. Ex Decreto Papae Gelassii.* Initium Cap. *Ordinatio-*

*nes etiam presbyterorum diaconorumque nisi certis temporibus &c.* Edidit *Poenitentiale* istud, seu potius Canonum Collectionem Sec. IX. antiquiorem, quaque Postiores non parum usi sunt, *Luc. Acherius Spicil. T. XI. edit. Paris. 1672. p. 1. 4.* e Codd. mss. *Tbua-neo* altero, altero *Baluziano*, ut ipse testatur in Praeloquio, ad quod Lectorem remitto. Probe porro Exemplar nostrum huic Editioni consentit, usque ad L. III. C. 151. nobis 152. *Ut Metropolitanis sua Iura seruentur;* abhinc enim Codex turbatus varia interferit *de Capitulis Uenationum, Prologum de duodecim Remissionibus Peccatorum, Capitula praecipue de Vitiis, quae Capitalia dicuntur, donec tandem infumtis in haec 8. foliis ad Caput Editionis 152. Leo Theodoro Ep. Foroiul. &c. redeat;* addit tamen in fine praetensum Synodi *Nicaenae Canonem: Ut non Presbyter aduersus episcopum, non diaconus aduersus presbyterum — det accusationem aliquam &c.* qui potius est inter *Caroli M. Capitularia L. I. edit. Petri de Chiniaco Paris. 1780. n. 133. p. 728. f. ubi nota, post edit. verba: Christum praedicantes interponi a Nostro: et sit habundantia litterarum capax fide catholica memoriter tenentes forte credendum uiriliter predicandum. Quo loco legendum videtur: sint capaces.*

II. fol. 104. *Incipit Ordo Ad Paenitentiam Dandum.* Initium: *Inprimis interroga eum diligenter. Credis in patrem. et filium. et spiritum*

2541

## CASUISTICI

2542

ritum sanctum. Credo. &c. Sequuntur Orationes variae et Examina cum Clericorum, tum Laicorum, quorum pleraque partim in Poenitentiali Halitgarii Camerac. partim in aliis a Job. Morino ad calcem Operis de Poenitentia relatis sparsim leguntur.

III. fol. 114. p. 2. alia, sed aequae vetusta manu sequitur Formula Confessionis, quae infit: Confiteor domine pater celi et terre coram hoc sancto altario tuo et istius loci reliquiis et coram hoc sacerdote tuo &c. Additur Responsum Sacerdotis hoc initio: Fili mi. Testis tibi sit christus filius dei uiui &c. atque in hoc Responso Codex abruptitur.

Ambit illum utrinque Membrana Fragmentum de Musica Sec. XII. exaratum complectens, quod quidem in nullo veterum Latinorum, quos bono numero inspexi, deprehendere datum est. Itaque Specimen quoddam inde transferam. *Sistema quid est? In colis uel commatibus diastemata dicimus. Sistemata in particulis perfectioribus. seu toto periodo. Nam diastema est spatium quotlibet sonorum quo particula complectitur. id est quo acuta et grauior uox includitur.* (Ita quoque definit Mart. Capella de Nupt. Philolog. L. 9. edit. Plantin. Rapheleng. 1599. p. 321. 8.) *Sistema totius spatium meli. Item sistemata sunt species tetrachordorum. pentachordorum. ochlochordorum. que modis singulis suas dant species. &c.* Scriptorum de Musica Latinorum medii aevi

Elenchum habes in Fabricii Bibl. L. II. ad v. Berno.

## DCLXX.

Codex membraneus lat. Sec. 576 XII. Folior. nunc 61. 4. non una manu, commode tamen perscriptus et rubricis distinctus continet: I. Breues Institutiones Vitae Pastoralis pro rudioribus Sacerdotibus, quarum initium: *Uenerabilibus sacerdotibus. N. et N. Ricardus eorum deuotissimus. Viam nostram sepi (sepiri?) lapidibus, transitum sub pallio breui et angusto, et expectationem secunde stole cum gaudio. Recolo uos a me postulasse quod breuem uobis doctrinam darem suscepto officio sacerdotali maxime erga subditos in penitentiis iniungendis &c.* Ordo in tractatione promittitur sequens: *Primo scilicet qualiter homo nascitur. Secundo qualiter peccat. Tertio que sint genera peccatorum mortalium in que cadit. Quarto qualiter ab his resurgat. Quinto qualiter sit iniungenda penitentia. Sexto qui sunt articuli fidei quos quilibet credere tenetur. Septimo quibus operibus insistendum. Octauo cum qua cautela sacerdotes populum sibi commissum regere debeant. Nono in quo statu sint animae defunctorum usque ad diem iudicij. X. de generali resurrectione.* Opportuna sunt omnia, quae per decursum traduntur; illud tamen singulare, quod legitur fol. 4. p. 1. *Sciunt itaque domini sacerdotes quod ipsi peccata non dimittunt, sed ostendunt*